

Bibliothèque numérique

medic@

**Mailly, O.-P.. - An antiquorum vel
recentiorum quorumdam doctrina de
diathesibus comprobanda ? an in
curandis morbis observanda ?**

1829.

*Paris : Ex typographia
Chaigneau filii majoris*
Cote : 90975



J

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM
JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGLÆ
UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA, ANNO 1823.

An antiquorum vel recentiorum quorumdam doctrina
de diathesibus comprobanda? an in curandis morbis
observanda?

THESES

Quas, Deo juvante, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum
disputationibus subjectas tueri conabitur, sexto die mensis
julii 1829.

O.-P. MAILLY,

DOCTOR MEDICUS EJUSDEM FACULTATIS.




PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA CHAIGNEAU FILII MAJORIS,

VIA MONNAIE, N° II.

M. DCCC. XXIX.



PRÈSES D. ESQUIROL.

ADELON.
ANDRAL.
CAYOL.
CHOMEL.
FIZEAU.
LANDRÉ-BEAUVAIS.
RÉCAMIER.

JUDICES DD. { GAULTIER DE CLAUBRY.
VICEM-GERENTES DD. { DE KERGARADEC.
RULLIER.

COMPETITORES.

AYME. — BERJAUD. — BROUSSAIS. — CHANEL. — DALMAS.
— DEFERMONT. — DUBOIS. — FORGET. — GAIDE. — GUÉRARD.
— GUIBERT. — GUILLOT. — HOURMANN. — LÉGER. — MAILLY.
— MENIERE. — REQUIN. — ROYER-COLLARD. — SANDRAS. —
SANSON. — VIDAL.

QUÆSTIO.

AN ANTIQUORUM VEL RECENTIORUM QUORUMDAM
DOCTRINA DE DIATHESIBUS COMPROBANDA ?

AN IN CURANDIS MORBIS OBSERVANDA ?

PRIMA QUÆSTIONIS PARS.

An antiquorum vel recentiorum quorundam doctrina de diathesibus comprobanda ?

Cùm ad solutionem primœ partis hujus argumenti assequendam, significationem veram diatheseos definire maxime necesse est et cùm verbum illud, ab omni tempore in medicinâ usitatisimum, variâ sub acceptione sœpè fuit adhibitum, hanc significationem expedire conabimur; illâque planè statutâ, omni remotâ ambage, solutio sp̄ente elabetur.

Notiones auctorum de diathese.

Diathesis a ~~diathēsis~~ dispono derivatur, sed hujus vocis de significatione non penitus consentiunt auctores.

Documenta de diathese, quœ scriptores ediderunt, plurimis variisque in operibus sparsa micant, sed perpauci speciali in tractatu planam illius historiam deposuerunt.

Hippocratis discipuli Galenusque ipse diathese habitum quemdam corporis designabant et, theoriæ humorum cardinalium indulgentes, quatuor constituerunt diatheses, scilicet san-

guineam vel phlogisticam, pituitosam, bilirosam et melancholicam.

Qui post illos venerunt auctores hanc hippocraticam prosecuti sunt de diathese doctrinam. Sed, si sequentia sœcla pandimus, eosdem verbi significationem extendere diathesumque numerum multiplicare vidimus.. Cùm enim scripta, quæ de arte medicâ ab ætate mediâ usque ad nostram vulgata sunt, pervolvimus; cùm, quæ Baillow, Hoffmann, Stoll, Cullen, Sprengell, J. Frank, etc., ediderunt, opera aperimus, diathesim pro dispositione, acceptam illudque verbum indicatum designandi causâ vel statum quemdam morbo et valetudini intermedium, vel pathologicum affectum seu totâ in œconomiâ, seu solâ in quâdam parte, viscere aut textu, evolutum. Undè primis novas addiderunt diatheses sequentesque promulgârunt scrophulosam, herpeticam, carcinomaticam, arthriticam, verminosam, scorbuticam, gangrenosam et syphiliticam.

Cullen diathesim hydropicam proposuit.

Hoffmann, propter dispositionem nativam et quasi necessariam quam ad morbillos variolasque omnes præstant, variolicam morbillosamque diathesim instituit.

Auctores quidam, in morbis a lacte describendis, diathesim lacteam locuti sunt.

J. Frank diatheses spectat ut quasdam morborum conditiones quæ suam cuique morbo indolem inculcat. Plurimas admittit quarum præcipuae sunt inflammatoria, rhumatica, gastrica, arthritica, atonica, scorbutica, thypodes, periodica, spasmodica, scrophulosa, carcinomatica, venerea. Illas ait morborum ferè omnium germina in se continere. Nonnullas verò alias, quas quoque refert, scilicet hydrophobiæ, trichomatis, pellagræ, herpetis, lepræ, etc., multò inferioris momenti esse existimat.

Hujus etiam sœculi principio, in these inaugurali, diatheses consideravit doctor Darbœufille ut materiales œconomiæ status

quibus ad omnes generales morbos obnoxium fit corpus, qui illis morbis propriam essentiam suppeditant, quique sequenti modo ordinari possunt, a variis organicarum functionum lésionibus :

Vitalium virium excessu (diathesis phlogistica);
 Earumdem defectu (diathesis mucosa);
 Nimiā animalisatione (diathesis biliosa);
 Longuidā animalisatione (diathesis serosa);
 Nimiā cerebri excitabilitate (diathesis nervosa);
 Organicarum virium et humorum depravatione (diathesis septica, ataxica, virulenta.)

Auctores iidem omnes consentiunt quòd diatheses congenitae vel acquisitæ sunt. Illæ a conditionibus genuinæ organisationis oriuntur et ut plurimùm a parentibus transmittuntur; hæ verò subeunt patenti vel occultâ actione rerum quæ æconomiam plerumque afficiunt, interiores illius motus perturbant, ideòque constitutionem intervertunt.

Præterea in uno et eodem ægro plurimas diatheses simul coïre posse arbitrantur, verbi causâ, diathesim inflammatoriam cum arthriticâ, scrophulosam cum herpeticâ vel syphiliticâ, etc. Imò J. Frank complicationem diathesim bifariam esse putat, scilicet *realēm* et *apparentēm*. Complicationem *realēm* ait adesse cùm diatheses ambæ, origine et indole inter se díversæ, eodem tempore, in uno et eodem ægro connubium ineunt; *apparentēm* verò cùm simplicissima diathesis tam vehemente unum e systematis corporis aggreditur, ut excitet symptomata alterius diathesos re ipsâ tamen nequaquam præsentis. Sic quandoque inflammatoria diathesis gastricum apparatus tam acriter afficit, ut biliosorum symptomatorum caterva exsurgat; sed brevì sanguinis emissionibus solis, nullo vomitu adhibito, cum vī diatheseos inflammatoriæ hæc symptomata evanescunt. Simili pacto, motus cordis spasmodicâ diathese excitati diathesis inflammatoriæ symptomata sæpè præstare possunt; sed, sine phlebotomiâ, solis antispasmodicis plerumque sedantur. Addit verò quidem auctor

ille *apparentem* complicationem, tractu temporis, in *realem* transire posse et hoc exemplo probat : cùm enim inflammatoria diathesis digestionis apparatus afficit, primò gastricam complicationem *apparentem* suscitat; sed paulò post irritatione accersitæ undique affluunt morbosæ secretiones, tubum intestinalem obruunt et veram diathesim gastricam generant: tūm complicatio *realis*, quam *secundariam* vocare proponit.

Brown diathesim pro universalī quādam ad morbos dispositione accipit. In doctrinā suā duas tantūm diatheses admittit, scilicet *sthenicam* et *asthenicam*. Prima a nimiâ incitatione; altera ab incitatione languidâ exoritur. Talis est inter illas proportio ut morbidis centum in casibus nonagiès et septiès prima et ter solummodo secunda apparet. In his duabus diathesibus therapeiæ suae omnia præcepta reponunt. Systemate quidem in illo, jure, Frank animadvertisit nullam diathesum complicationem esse possibilem; nam, cum e diametro sunt oppositæ diatheses, nunquam congruere queunt.

Italicā nec non in doctrinā medicā (Dr^{is} Emiliani opusculo 1825) sub significatione penitus alienā sumitur diathesis. Verbum enim hīc usitatum ad exprimendam quamdam conditionem morbidam quæ causis externis, a quibus orta fuit, nec jam per affinitatem ullam innectitur; quæ cum iisdem causis nil habere commune potest; quæ, ut primūm constituta, determinato tempore curriculum suum absolvit; quæque, submotâ omni causâ, numquām, nisi curatis secundariis affectibus, debellata recedit. Novâ sub illâ significatione ab acceptione prisorum auctorum longè discrepat diathesis. Non enim ad quemdam morbum corporis pecularem dispositionem significat, sed omnes morbos, qui, sublatâ causâ, persistunt, amplectitur. Exempli gratiâ, si vesicalis catarrhus, calculo ayulso, manet, tum ille diathesica affectio italicè dicetur. Hæc vis propria perseverandi morbos diathesicos discernit a morbis irritativis qui ex levi perturbatione, causæ numquam superfuturâ, constant. A diathesi

Brownianà differt illa quòd, praeter excitamenti alterationem, alterationes alias quasdam organicas accipit, quæ secundariè adveniunt et a generali excitamento minimè pendent. Hoc pathologicæ caput planissimè evolvit professor Fanzago. Auctor enim ille in omnibus morbis demonstrat peculiarem elaborationem, immutationem ve topicam fieri, quæ suam morbo *formam* imprimit et idcirò in curandis morbis maximè est observanda. Hanc elaborationem *conditionem pathologicam* appellat. Porrò conditioni huic pathologicæ ut secundaria obnoxiaque est consideranda diathesis.

Irritationis doctrinæ sectatores obtulerunt ut diathesis appellaretur hæc specialis dispositio ad hunc vel ad illum morbum cujuscunque organi incorpore. Sic pulmonariam, cerebralem, hepaticam, uterinamque diathesim profitentur. Hemorragicam quoque diathesim vocant hanc dispositionem quâ organum, hemorragiam vel unam jam passum, ad alias sanguinis congestiones hemorragiasque novas fit proclivius.

Pleriquè verò nostræ ætatis medici, ut docet professor Chomel (*Nouveau Dict. de Médecine*), diathesim assumunt pro istâ dispositione, quâ evenit ut quandòque plurima viscera aut plurimæ œconomiæ partes, vel simul, vel vicissim multiplices affectus præstent, naturâ semper consentaneos, quamvis specie sæpè dissimiles. Sic scorbutica vel syphilitica diathesis variis in organis formâ valdè dispares læsiones parere potest; sed illæ tamē eādem origine, eādem indole, eādemque therapeiâ inter se semper congruunt. Is quidem status pariter differt et ab habilitate ad morbos contrahendos et a cachexiâ. Cūm enim luem venereum homo quidam adipiscitur, corporis habilitatem ad contagionem exercet; at si e primo recessu ad cæteras partes effudit virus, si pustulæ maculant cutem, si erosio, vel minima, indolem syphiliticam induit, tum diathesis; si deniquè, remediis neglectis vel irritis, in pejus vergit, emacescit, consumitur, id est cachexia. Itaque ab acceptione hujus vocis nunc ferè

unanimâ constituendæ sunt tot diatheses quot numerantur morbi, quorum ingenium est proprium plurimas partes corporis, simul vel vicissim, invadere, causæ communis impulsu, cuius indolem semper retinent, licet varios evolvant effectus. Unde sequentes admittuntur diatheses, scilicet: inflammatoria (cùm phlegmasiæ multiplices et ignotâ occultâque dispositione ortæ, unà seu vicissim, per æconomiam sœviunt), arthritica et rheumatica, tuberculosa, carcinomatica, gangrenosa, herpetica, scorbutica, syphilitica, purulenta, hydropica, hemorrhagica, melanoïca, ulcerosa et granulosa.

Illustris quidem chirurgieus anevrismalem diathesim professus est.

Considerationes quedam de diatheseos significatione et conclusio.

Ab omnibus suprà dictis de diathese, verbum illud incertissimum videri debet. Multiplici enim significatione undique versatur. Primum pro habitu speciali corporis sumitur; dein, pro dispositione peculiari, cuius vi propriâ nascuntur et aluntur generales quidam morbi. Huic significat incitamenti alterationem, quæ dicit ad morbum; illi morbidæ elaborationis effectum, quem *conditionem pathologicam* appellat; alteri organorum dispositionem ad locales congestiones repetendas; denique plurimis peculiarem æconomiæ statum, a quo multiplicita symptomata pathologica, unà vel vicissim, erumpentia, specie aut similia, aut disparia, sed iudice semper congruentia oriuntur.

Attamen, inter has controversias, si rem accuratè attenderis, facile intellexeris ferè omnes consentire auctores et diathesim considerare ut peculiarem æconomiæ statum, qui ad generales morbos disponit, quique indole et naturâ variare potest, et indelebili et speciali sigillo affectus ab ipso exortos incutit.

Anne verò ille status existere potest et, si constat, quibus causis exsurgere debet? haec paucis resolvere tentabimus.

Morborum causae nos undique obsident et foris et intus. Unde duplex causarum ordo. Externae a foris irruunt et oeconomiae sese applicant; internae nascuntur intus et a conditionibus ipsis organisationis emanant. Haec primis numero non inferiores, vi multò majore pollent ad morbos excitandos. Haud igitur mirum est si quandò, cujusdam causae internae impulsu, oeconomiae generalis affectus germen in organismo ipso exsurgere possit et si morbidus exoriatur status qui, certo tempore morbidum quemdam actum, ut D^ris. Pariset verbis utar (*Dict. des Sciences médicales*), suscitet. Id omnibus ad praxim medicam incumbentibus fuit usque compertum. Status verò morbidus ille pluribus causis evadere potest illasque attendere operae pretium est. Cum enim multiplices et diversae sunt, ad tria tamen capita, quae omnes amplectuntur, cogi facile queunt. Illa capita ipsa ad sequentes laesiones sunt referenda, scilicet: 1º ad perturbationem concentus partium oeconomiam constituentium; 2º ad vitiosam aberrationem functionum assimilationi nutritio- nique praesidentium; 3º ad admisionem vel generationem in organismo heterogeneorum, seu virulentorum, seu morbidorum principiorum. Haec igitur tria causarum capita secundum natu- ram suam suumque ingenium maxima discremina praebent. Diversas enim quodque ad alterationes spectat, scilicet physiologicas primum, physiologico-pathologicas secundum, et penitus pathologicas tertium. Porrò triplici ab ista origine omnes defluunt dispositiones a quibus derivantur et generales morbi et diatheses, hoc verbo sub significatione etymologiae proximâ accepto; quod quidem sequentibus comprobare cona- bimur.

Etenim, si primum causarum caput expendimus, illud vide- mus consistere in excessu unius ex physiologicis his statibus qui temperamenta constituunt. Nunc sanguis, nunc lympha su-

perat; hic biliaris, illuc nervosus apparatus prævalet. Physiologicis ex his perturbationibus quatuor morbidi oriuntur status, quibus nomen diatheseos haud immerito imponendum esse nobis videtur.

Si sanguis nimius, tunc sanguinea fiet diathesis, quam phlogisticam Cullen, sthenicam Brown appellant. Haec verò præstat motus crebriores vehementioresque arteriarum, sanguinem crassiores et ditiorem, affectus acutissimos et rapidè grassantes, cum nimiā virium vitalium exaltatione. Præcipue in junioribus, plethoricis, vernali tempore appetit. Excitatam nimiā viscositate sanguinis reputat Sydenham, sanguinis quādam acrimoniā Hewson, arteriarum vi tonicā Cullen, Grimaud, et cum spasmo nervoso, addit Bosquillon. Ad hanc explicandam plethora sufficit. Eamdem hemorragias activas sæpè comitari ait Cullen. Sæpè quoque has multiplices phlegmasias, quae totam viscerum vel textuum seriem invasere, peperit.

Si contrà lympha redundat, mutabitur scena et diathesis erit pituitosa, vel mucosa, vel lymphatica. Apud pueros, mulieres et senes communis, nimiā albidorum succorum copiā, organicā debilitate, chronicisque affectibus notabilem se præbet, ab atoniā systematis lymphatici originem ducere videtur et ad morbos mucosos et lymphaticos, ut adnotat Dr Pons (thèse sur la diat. pituit.), atque ad hydropem aptius efficit corpus. Ad hanc reduci debent et serosa diathesis Dris Darbefeuille et hydropica Cullenii.

Si verò nimiis secretionibus laborat biliaris apparatus, tunc prodit biliosa diathesis. Præsertim aestivo tempore, aetate que maturā occurrit, cùm functiones hepatis gastrorumque viscerum acriter excitatae præpollent propriamque irritationem in cæteris œconomiæ functionibus defundere videntur. Tunc *biliosa plethora Stollii* veterumque *polycholia*: tunc, bile morbosque secretionibus tubo intestinali obruto, multiplices affectus

pathologici, typo speciali distincti, signum que hunc propter communem hiliosi dicti, per æconomiam vagantur.

Si denique cerebro-spinalis apparatus exacuitur actio, acceditur nervosa diathesis, quam instituit Dr. Darbelle, ad nimiam cerebri excitabilitatem exprimendam, et exquâ omnes deduxit névroses.

Secundum causarum caput pertinet ad aberrationem vitiosam functionum quæ assimilationi nutritionique præsident. Tum pervertitur, depravatur nutritio et assimilationis organa nostrorum in textu partium deponunt diversas naturâ organicas productiones, ut tubercula, canerum, melanosim, granulosam materiam, etc. Productiones illæ varia per spatia secræ, inter fibras lentè tacitèque manant et in textu partium, patenti nullo cum effectu aut, si fortè quidam, tam obscuro ut irruptionem illam numquā prodere possit, paulatim occultèque sese insinuant. Hæc penetratio morbidæ materiei quandoque universa, sed ferè semper innœua, veram diathesim constituit. Ast ubi ad quemdam gradum pervenit irruptio, rebellant textuum fibræ, alienam secretionem repellunt; undè irritatio, febris, corporis depravatio, virium defectio, consumptio, etc.; tum mera se præstat cachexia. Hanc progressionem ita sensère accuratissimi ætatis nostre indagatores, Bayle, Cayol, Laënnec, Chomel, Andral, etc.; eamdem quoque observatione propriâ rursus demonstrare forsitan potero. Domina D****, circiter triginta annos nata, quam unâ cum doctore Petit, nosocomii Parisiensis medico, visitabam, usque ad ultimum morbum prosperâ valitudine semper floruerat, cùm subito de tumore dolenti in epigastrio queritur. Antiphlogistica aliaque remedia irrita manent; acceditur febris, rapidè ruit in pejus ægra, fatiscit, consumptione conficitur et vix post duos menses, primo affectus ab ortu, extinguitur. Tum rogata parentibus necropsia mihi generalem recludit materiei tuberculosæ infiltrationem in omnibus visceribus et thoracis et abdominis, nullo quidem excepto, disper-

sam et usque in textu cellulari capitis subcutaneo passim grassetem. Cranium non fuit apertum. Hepar verò, præter multa in parenchymate sparsa, vastum tuberculum, ad amplitudinem duorum pugnorum evolutum, in putrilagine omnino resolutum et in epigastrio conspicuum, sinistro sub lobo præstabat. In hoc casu scilicet non dubitandum est quin symptomata, quæ mortem adduxerunt, e labore tuberculi suppurativo orta fuissent et diathesis tuberculosa, quæ omnibus in visceribus vestigia sua deposuerat, æconomiam invasisisset multò antequam apparuerint symptomata funesta et per longum tempus occulta siluisset.

Denique tertium causarum caput attingimus. Illud quidem ab admistione vel generatione in organismo heterogeneorum, seu virulentorum, seu morbidorum, principiorum constat. Hæc verò principia nil aliud sunt quam virus vel vitia diversa quæ, in æconomia introducta vel ingenita, per illam exæstuant, multiplicesque effectus expandunt qui, licet specie et formâ sæpè dissentiant, tamen naturâ et indole semper affines manent et, si quandò sanabiles, iisdem remediis eidemque therapeiæ respondent. Talia sunt virus syphiliticum et herpeticum, vitia scrophulosum scorbuticumque, principia rhumaticum atque arthriticum, dispositiones gangrenosa, ulcerosa et purulenta.

Quis nescit ex illis principiis unum quodque, vel unam, vel viçissim, per æconomiam evolvere posse plurima symptomata, diversa aut similia, quæ eidem medendi rationi ad causam communem morbidam accommodatae cedunt? Quis nescit dolores osteocopos, exostoses, maculas pustulasque venereas mercurio discuti; vel ulcerationes, gangrenam et cariem scorbuticas vegetabili victu et herbis crucifereis mirum in modum debellari?

Vidimus igitur hos specificos morbos constituere diatheses, ut productiones organicæ, quas suprà indicavimus, vel perturbationes adventitiae physiologicarum functionum; illosque quidem symptomatorum catervas edere, quæ uni semper et eidem causæ vel therapeiæ pertinent, et quæ, quamvis sæpè formâ sint varia,

usque tamen communi similique naturæ et essentiæ hærent. Itaque hæc tria capita causarum ternos diathesium ordines compositura haud immeritò dixeris, quorum ingenium commune est affectus generales producere in œconomia qui, dum pariter omnes partes corporis petunt variasque formas induunt, propriae tamen naturæ peculiare signum præ se usque retinent. Primum ordinem agnovère veteres medici, alias verò duos periére recentes. Praxis medica tres illos, omni momento, nostris sub oculis evolvit et præsentes certosque undiquè demonstrat.

Unde facile est concludere ut sint conciliandæ antiquorum recentiorumque *de diathesibus* opinione, eorumque doctrina de illis in omni puncto comprobanda.

CONCLUSIO.

Ergo antiquorum et recentiorum doctrina de diathesibus est comprobanda.

SECUNDA QUÆSTIO.

AN IN CURANDIS MORBIS DOCTRINA DE DIATHESIBUS
OSERVANDA?

Baillow dixit : *Antequam de remedius statuatur, primum constare oportet quæ morbi causa.* Postque illum Haller : *Ille solus morbum curavit qui ejus causas cognovit; noscere enim causam morbi, est arcanum.* Si causarum notio tanti est momenti in morbis curandis; quantæ utilitatis quantique pretii ad therapeiam diathesum scientia non haberi debet? Alià enim omni causâ in morbis multò magis pollet diathesis. Nam haud tantum ad producendos affectus peculiares ipsiusque ex elementis quasi compositos potentissimè valet, sed etiam affectionibus alienis et per œconomiam yeluti transeuntibus, organismo dum regnat, ingenium suum incutit. Si non agnovisset diathesim inflammatoriam Sydenham, anne sanguinis emissiones in febre pestilentiali Londini, annis 1665 et 1666, præscribere ausus esset? Si Stoll biliosam diathesim ignorasset, anne unquam animo succurisset evacuantibus phlegmasias hemorrhagiasque debellare, therapeiamque inire, quam posteà multiplices successus comprobârunt. Quis ne iteratis phlebotomiis lacesset ægrum diathese lymphaticâ languentem? Nonne denique diathesis nervosa aliis remediis encephalum sedantia sociandi indicationem ipsa suppeditabit?

Diathesibus quidem in ipsis quæ ab aberratione motûs nutritivi pendent, quarumque intima causa vel mechanica, ut ita

dicam , pariter ac assimilationis , nos adhuc effugit , nonne est magni momenti præsentiam illarum agnoscere ad indicationes therapeiæ sumendas ? Cùm enim , in his casibus , artis sub potestate etiamnùm non est normalem nutritionis restituere modum , saltem morbidas illius errationes refrænare depravationemque morari potest , ut exempla plurima tribuerunt doctissimi indagatores in primâ parte jam citati . Tùm verò refert intra præcepta exactissimæ prudentiæ stare cavereque præsertim a multis vagationibus incertis quæ , adversus morbum semper irritæ , defessum ægrum conflictantur et in pejus præcipitant .

Deniquè si ad diatheses , quæ vitiis ab internis oriuntur , attendimus , nonne commodi est maximi , cùm hæc vitia specificis remediis propugnari queunt , illarum ingenium discernere ? Tunc enim præstant ipsæ rationem , et discutiendi , extinctâ causâ , effectus sæpè funestos longisque tractibus incumbentes , et expediendi leves naturâque benignos affectus a gravibus complicationibus , quæ indolem depravant incessumque retardant . Itaque jure affirmari potest diathesum notionem fontem esse ditissimam , a quâ morborum indicationes et contra-indicationes defluunt , et illarum in observatione therapeiæ maximè versari .

CONCLUSIO.

Ergò in curandis morbis de diathesibus doctrina est observanda .